

August Varenius Gabriel Hinze

Rationarii Theologici, De Scriptoribus Ecclesiasticis, Seculi II. Dissertatio II. De Irenaeo, Praecipue, quae sub tam vetusti Scriptoris Catholici nomine sive olim extiterunt, & perierunt, sive ad nostra tempora pervenerunt, scriptis

Rostochi[ij]: Richelius, 1672


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740894234>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1672

Varenius, Aug./c



RATIONARII THEOLOGICI
DE
SCRIPTORIBUS
ECCLESIASTICIS,
SECVLI II.
DISSERTATIO II.

DE
IRENÆO,

Præcipuè, quæ sub tam vetusti Scriptoris Ca-
tholici nomine sive olim extiterunt, & perierunt, sive ad
nostra tempora pervenerunt, scriptis

Quam

DEO OPT. MAX. MODERATORE
PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Sereniss. Ducum Mekleb. Consistorii Assessore, & Directore,
Professore Theologo, p. t. MAGNIFICO
Academiæ RECTORE.

*Ad diem XII. Octobr. A. O. R. cl. l. LXXII.
horis ab 8. matut.*

IN AUDITORIO MAGNO
publicæ collationi submitter

GABRIEL HINZE, WisMariensis.

☞ : (: o :) : (30

Rostochl Typis JACOBI RICHELII.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS AC DOMINIS

DN. HENRICO SCHABELIO,
DN. CYRIACO Burmeister/
DN. CASPARO Schwarztopff/
DN. CASPARO Voigt/
DN. MARCO Burmeister/
DN. DANIELI MAREN,
DN. JOACHIMO Kirchdorff/
DN. CHRISTOPHORO Gröning/
DN. CHRISTOPHORO Buchhiser/
DN. JOHANNI KÖPPEN,
DN. JOACHIMO Buchholz/
DN. HENRICO TANKEN,
DN. JOACHIMO PARIS,
DN. GEORGIO JORDAN,
DN. JOACHIMO Hingen/
DN. ANDREÆ Bentschneider/
DN. GEORGIO Glaff/

Inclytæ Reipubl.
Wisnariens. CONSULIBUS & SYNDICO, gravissimis.

Ejusdem Reipubl.
SENATORIBUS spectatissimis.

SECRETARIO florentissimo.

Dominis Mæcenatibus, Parenti, Patronis, Fautoribus
zatem colendis,

Hac dedicatâ observantiæ tessera studia sua Academica commendare voluit


Humillimus cliens

GABRIEL HINZE,



1927.5.9643

AD PRÆSTANTISSIMUM
DN. GABRIELEM Hinge/
Wislar. Philos. & S. S. Theol. Studiosum solertissimum,
Convictorem æstimatissimum,
DE
IRENÆO
publicè RESPONDENTEM.

 Ic igitur terris mittit nova fulmina cœlum
Gradivi tetricæ concinuere tubæ
Effundit patulum Thrax crudelissimus Hæmum,
Sævaq; sanguineus munera, JURA, parat
Quæ quondam variis orbi celebrata triumphis
Signa vagi campis extimuerunt Schyta
Quæ quondam Moscus, Moscoq; ferocior hostis
Indoluit, vinci non potuisse, SELIM
Quantus Eryx! vel momento vertuntur ab hoste,
Qui ponit capto barbara signa solo.
Matrona sanguineus, Scaldis, Rhenusq; rubentes
Decolor hinc mœstas Vistula voluit aquas.
Ira DEI nondum precibus placata piorum,
Et nondum nostris est saturata malis.
Scilicet est extensa DEI manus omnipotentis,
Germani post tot crimina funus adest.
Tu gladios inter præacutos cuspide ferri
Et vel quæsitum fraude vel ense decus
Securum tibi sternis iter per nomina PACIS:
NUNC IRENÆI dum meditaris opus.
Scilicet hostiles ferro stravisse phalanges
Quid juvat, & titulum laudis ab hoste peti?
Materiem magni dat pax sincera triumph
Quæ si non constet sanguine, major erit,

Quæ

Ad pacem, tanti mensuram nominis implens
IRENÆUS ovans tempora nostra vocat.
IRENÆUS quem vel metas Herculis ultra
Sacra per insolitum gloria duxit iter.
Hic tua laus, tanto studiumq; decusq; Magistro
Indolis in nostris constat, Amice, Rosis.
Nunc sedet, orchestræ Soles Lunasq; probare
Quin & Areiopago solvere vota sacro.
Quò quamvis celebres, nullo monitore, *Quirites*,
Virtutis, per te, publica signa legant
Ut mihi, quæ tanti numerat sacer ordo Senatus
Nomina, sint ipsis candidiora Rosis
SWARZKOPFI tamen est longè mihi nobile nomen.
Delitium VOIGTI, nec mihi cera minus
Quos precor, ut terræ multos serventur in annos
Et stellas serri, quas meruere, petant.
Sentiât augustos hos inclyta Curia Consos
Atq; per hos palmas pandat in urbe novas!
Accedat geminis, pulcherrima fama Parentis
Qui tibi præsidium, qui tibi dulce decus.
Quem, licet haut, Civis, fuerit sine nomine, nomen.
Clara Senatoris celsius urna vehit.

*Celerrimè
quod honori & amori debuit sic ad-
umbravit*

AUGUSTUS VARENIUS,
Acad. Rostoch. h. t. RECTOR.



S. IRENÆUS MARTYR.

§. 1.

Irenæus natione *Græcus*, *Polycarpi* (qui Johannem audiverat) *discipulus*, *Pothini* Episcopi, qui *Lugdunensem* in *Galliâ Celticâ* regebat *Ecclesiam*, initio *Presbyter*, & dein, illo propè nonagenario, martyrio coronato, *Lugdunensis* in *Galliâ Episcopus*, *Commodo* Imperatore, *Eleutherio* autè, ac post hunc, *Victore*, Episcopis Romanis, floruit, & *SEVERO* Imperatore, qui post datâ per decenniû religioni pacè, dein Christianos crudeliter occidi mandavit, Martyriû, cû aliâ innumerabili Martyrum turbâ, populo inprimis civitatis *Lugdunensis* prope universo, in persecutione quintâ, & cum illo ἀγωνί τῷ καλῷ cursum consumavit, occisus adè non sub *Maximino*, qui cœpit regnare anno 235. nec sub *Alexandro Severo*, qui anno 224. Christi regnare cœpit, ac per 13. annos imperavit (sub quo nulla insignior persecutio) sed sub *L. Septimio Severo*, verè *severo* (qui circiter annum Dom. 194. imperium, publicis electionis Comitiiis, quibus *Dio* Senator interfuit, adeptus, eodem, post 17. annos, in *Britanniâ Victor*, moriens, est defunctus) circa initium seculi 3. ut erraverint adè, qui ex confusis *Severis* ultra a. C. 224. vel sub ipso etiam *Maximino Thrace* putarunt annum Martyris *Irenæi*: etsi absurdior etiam illa putatio, quæ fingit 80. annos *Irenæi Presbyteri* & *Episcopi*, inde ab annis *Antonini*.

§. 2. De pueritiâ sub *Polycarpo* sanctè exactâ, quin & de tempore, in quod sua, tunc scriptoris adultioris, atas inciderit, ipse non tacet l. III. adversus hæreses c. 3. ubi & successiōnem *Romæ Episcoporum* post *B. Apostolos Petrum & Paulum*, qui *Lino Episcopatum administrande Ecclesiæ tradiderint*, sibi succedentium

F f

cedentium

cedentium, ad sua usq; tempora, talem deducit: *Lino*, inquit, *succedit Anacletus*, post eum, *Episcopatum sortitur Clemens*, huic *Clementi succedit Evaristus*, *Evaristo Alexander*, ac deinceps *sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus*, & ab hoc *Telesphorus*, qui etiam *gloriosissime martyrium fecit*, ac deinceps *Hyginus*, post *Pius*, post quem *Anicetus*. Cum autem successisset *Aniceto Soter*, nunc *duodecimo loco post Apostolos Episcopatum habet Eleutherius*. Pergit *Irenæus*, & cum ostendisset, quæ in *Ecclesiâ Romanâ*, per *Episcoporum successionem* ad sua usq; tempora, pervenerit, *veritatis præconiatio*, citat quoque *Polycarpum*, quippe qui *Apostolorum discipulus*, non nisi quæ ab his didicerit, se aliosq; docuerit, *Ecclesiæq; tradiderit*, & hac, inquit, *sola sunt vera*.

S. 3. *Polycarpus* (verba sunt *Irenæi* l. alleg.) non solum ab *Apostolis edoculus*, & cum multis ex eis, qui *Dominum Jesum viderunt*, est *conversatus*: sed etiam ab *Apostolis in Asiâ*, in eâ, quæ est *Smyrnis*, *Ecclesiâ constitutus Episcopus*, quem & nos vidimus in *primâ nostrâ atate*. Multum enim *perseveraverat*, & valde *senex gloriosissime martyrium faciens* exivit de hac vitâ.

S. 4. Extat apud *Eusebium* l. 5, hist. Eccles. c. 19. *Epistola Irenæi ad Florinum hæreticum*, in quâ familiaritatis, quæ & *Florino*, & *Irenæo* discipulis cū præceptore *Polycarpo* intercesserat, mentionem facit: *Ista*, inquit, *dogmata, Florine, Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quiq; erant ipsorum Apostolorum discipuli, minime tradiderunt*. Vidi enim te, cum adhuc puer essem in *inferiore Asiâ*, apud *Polycarpum*, & in aulâ *Imperatoris splendide lauteq; vitam degebas* & sedulo te *Polycarpo probare natebaris*. Quia enim, *cognitio, quam cum puero imbibimus, unâ cum atate accrescit simul*, & quasi *vinculo cum ipso animo penitus copulatur*, ea quæ tum *gebantur*, multo firmitus in *memoria insident*, quàm quæ nuper *preterierunt*, adeo ut & locum, in quo *assidebat beatus Polycarpus*, cum *differeret, istius eò accessum*, & *introitum, formam & modum vite, corporis*

corporis effigiem, disceptationes ac sermones, quos apud multiendinem habebat, & sue necessitudinem, ac vita usum cum Johanne Greliquis, qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narraret, & quo pacto memoraret eorum Sermones, quin etiam quenam ab illis de Domino audivisset, quomodo de miraculis ejus, de doctrinâ, de virtutibus, deniq; ab illis, qui fuissent suis oculis verbum vita conspiciati, omnia scripturis consonantia, narraret, videar mihi rite posse recensere. Hæc eo tempore, per Dei misericordiam studiose & attentè audiebam, atq; non charta & literis: sed interiori mentis cogitationi mandabam. Apparet hinc, sub quo Magistro exacta Irenæo adolescentia, & quæ præcipua Juveni Irenæo fuerint studia? sed & illud insigne, quod Patronos traditionum Pseudo-Apostolicarum, nullâ scripturâ Apostolicâ contentarum, pari ramenten pietatis affectu ac reverentiâ suscipiendarum, Tridentinos, de autoritate Irenæi adeo in hoc argumento clamorosos, pudefacere debebat, non recordari Irenæum alia sibi à Polycarpo tradita, velut ab Apostolis accepta, quàm quæ essent πάντα σύμφωνα τῶν γεγραμμένων: s. omnia consonantia scripturis. Ad quas traditiones & Symphoniam Apostolicam, si causa religionis omnis revocabitur, tunc demum solida dabitur in terrâ PAX RELIGIONIS.

§. 5. De Presbyterio Irenæi sub Pothino, & successione illius in Episcopatu, quin & de ipso Martyrio, testes Eusebius histor. Eccles. l. 5. c. 4. & 6. Hieron. l. de Scriptor. Eccles. in Irenæo. Meminit uterq; Irenæum jam tunc Lugdunensem in Galliâ presbyterum, à Martyribus ejusdem loci, ob quasdam Ecclesie questiones legatum Romam missum, honorificas super nomine suo, ad Eleutherum Episcopum pertulisse literas, quas, cum non minùs de Irenæo Presbytero Zelota testentur, quàm superiores de Irenæo Juvene, ex eodem Euseb. lib. 5. histor. Eccles. c. 4. huc transponemus, ut sic constet undiquaq; pulcherrimè μαρτυροῦμενον Irenæum fuisse. Valere te in Deo optamus, Pater Eleutherè! Has

Ej 2

literas

litteras ad te perferre fratrem nostrum Irenæum, & ministerij consortem rogavimus, teq; obsecramus, ut illum, utpote studio incredibili erga testamentum Christi flagrantem (s. prout Græcè Euseb. *Ἐπιλωτὴν ὄντα τῷ Διὰ θήκης ἔχει*) gratiâ & benevolentiâ præ cæteris complectaris.

§. 6. Nec minùs Irenæi Episcopi, celebrantur *κρητιστικῆ* s. communicatoriæ ad Victorem Episcopum Romanum, in controversiâ de die Paschali, cujus historiæ occasione, utilissimâ digressionem, Socrates hist. Eccl. l. 5. c. 21. excurret in accuratiorum, de differentiis *consuetudinum, rituum, traditionum* dissertationem, & sententiis & exemplis illustrem. Monet ibidem, nec à Servatore, nec ab Apostolis festorum observationem lege aliquâ, minùs, sub sanctione pœnali, præceptam: Apostolis propositum hanc fuisse, condere leges de festis: sed de regulâ vitæ & pietatis. Nec solùm legem de festis in N. T. nullam: sed & illam rigorosam festorum dierum impositionem, vel obligationem, Apostolis & Evangelio contrariam, ab Apostolo damnatam Gal. 4. 10. Coloss. 2. 16. Hebr. 7. 12. c. 10. 1. ut talia sub opinione necessitatis observare Judæismi potius sit, quàm Christianismi: multò minùs digladiandum de præciso die Paschali, cujus hæctenus diversissima fuerit observatio orientis & occidentis, salvâ charitate Christi: aliis (prout ferè tunc in oriente) celebrantibus die 14. cum Judæis, aliis non nisi die Dominico: illis quattadecimanis, Johannem, his Dominicanis, Petrum & Paulum pro se citantibus. Et hoc thema fuisse Irenæi adversus Victorem, qui *ἄμετρον θυμῶν θείων* s. supra modum iracundiâ fuerit inflammatus in *ποσούτοις καὶ ἀγῆτας* s. Quattadecimanos, ad fulmen usq; excommunicationis, cui opposuerit se Irenæus, & rectè: quia *ἐν δὲ μίαν τῶν θεοκειῶν τὰ αὐτὰ ἴθη φυλάττει* s. nulla religio eosdem ritus servat: & quia sæpè, qui in fide maximè consonant, *διὰ φωνῶν ὡς τὰ ἴθη πρὸς ἑαυτοὺς*, s. de ritibus inter se dissentiunt.

§. 7. Nota-

§. 7. Notavit idem Hieron. l. de Scr. Eccles. Feruntur, inquit, *Irenæi Epistola ad Victorem Episcopum Romanum, de questione Pascha, in quibus commonet, cum non faciliè debere unitatem Collegij scindere: siquidem Victor multos Asia & Orientis Episcopos, qui à 14. Lunâ cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In quâ sententiâ ij, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Plenissimè autem ante Hieronymum rem tunc gestam descripsit Eusebius hist. Eccl. l. 5. c. 22. 23. 24. in epistolâ *Polycratis Episcoporum in Asiâ Præsidis, ad Victorem & Eccles. Rom. in quâ Polycrates allegat Philippum Diaconum, Johannem, Polycarpum, magnamq; posteriorum Martyrum turmam pro 14. Lunâ: nec minùs, cum jam totius Asiæ ecclesiis excommunicasset Victor, acriter & acerbè notatum in Victore, tum ab aliis Episcopis, tum ab Irenæo, missis Romam literis, sub nomine Fratrum in Galliâ, probantium quidem mysterium Dominica resurrectionis die Dominico celebrari: Zelum tamen Victoris, fulmen excommunicationis in Ecclesiis orientis (quibus nec traditio defuit, nec observationis vetusta consuetudo) maximè improbantium, quâ de materiâ in ipsâ Irenæi Epistolâ apud Eusebium l. 5. c. 24. pulcherrima plurima legere licet.*

§. 8. Apparet inde non solùm, quam lubrica *traditionis Papisice regula* sit, etiam, ubi sub *Apostolorum nomine* allegatur, quamq; nec in hoc desit *judicium contradictorium*: sed & non agnitâ Irenæo illam *infallibilitatem Unius*, qui jam dudum toti orbi imponitur & imponit. Ceterùm observare non minùs inde licet, Irenæum sic pro domo Domini contra ipsos etiam Sanctos ceteroqui *Victores*, nec minùs contra hæreticos, fuisse *Zelotâ*, ut tamē *pacis Christi fuerit studiosissimus*, & verè (pro urgente Græcus, Græco nomine est appellatus) *Εἰρηναῖος* s. *Pacis & Concordia Ecclesiastica studiosus*, cui sc. idem studium fuerit, quod deinceps Greg. Naz, in disputatore Theologo requi-

Civit sc. *ὄχι ἀ παιδείας παιδεύειν, ἔδὲ ταῖς ὕβρεσι βιάλλειν, μὴ τῶ σιληῶν*
πραχόνειν, μηδὲ ἔ δεινῶ θερμότερον. ἀλλ' ἐνόμως μαχόμενον ἐρητεύειν.
 orat. 26. & 32. ut rectè tantum confessorem & Doctorem Epi-
 phan. hæ. 42. *μακαριώτατον, καὶ ἀγιώτατον* Ειρηναῖον, Απιστῶν Διδά-
 χον s. *beatissimum & sanctissimum Irenæum successorem Apostolo-*
rum, Tertull. cont. Valent. *omnium doctrinarum, præcipuè verò*
doctrina Christi curiosissimum exploratorem, ex Pontificiis Lin-
 danus in Panopliâ l. 4. c. 22. 46. 82. & Bell. l. de S. E. *antiquissi-*
imum & acerrimum Apostolica fidei propugnatorem, Virum san-
ctissimum, gravissimum, doctrinâ & pietate in libris plenum, alii,
Martyrem fortissimum, Episcopum contra hæreses vigilantissimum,
Chemnitius noster, fundamentaliter de primis principiis Christi-
anae fidei disputantem appellarint. Sed de his magis constabit
 ex scriptis.

§. 9. Scripsit Irenæus longè plurima: sed quæ maximâ
 parte jam inde à sec. 9. illacrymabili longaq; urgentur nocte,
 sic ut illorū sive sola nomina, vana habend; simulacra, sive spar-
 sa hinc inde *λείψανα* vel fragmenta in Catalogis veterū scripto-
 rum Ecclesiasticorum supersint. Ad hanc *perditarum* s. *non*
extantium classem pertinent Epistolæ illæ, quas contra quos-
 dam, Romæ sanam & sinceram Ecclesiæ doctrinam adulteran-
 tes scripsisse memoratur apud Eusebium l. 5. hist. Eccl. c. 19. e.
 c. unam ad *Blasum*, quam inscripsit de *Schismate*: alteram ad
Florinum (cujus jam supra mentio injecta) de *Monarchiâ*, sive
 quod *Deus non sit Autor & fabricator mali* (culpæ) Contrarium sc.
 defendit Florinus, imò hyperaspistes contrariæ sententiæ fuit,
 agnoscente id & Irenæo, & ex hoc, Eusebio, nec minùs *Augu-*
stino in l. de hæres. ad Quod vult Deum hæres. 65. 66.

§. 10. Mirum sanè, tantum, tanti Doctoris *Polycarpi* di-
 scipulum, Irenæi commilitonem, in tam blasphemum dogma,
 hic abiisse, & damnatissimum Simonianorum, quiq; dein suc-
 cesserunt

cesserunt, Seleucianorum, Priscillianistarum, thesin, de Deo Autore peccati acriter propugnare (πεγαυριζειν) (uti Eusebius loquitur) conatum esse, sic ut dubium reliquerit, quid inter se & Simonem Magum interfuerit, præterquam, quod Florinus peccata *formalia* hominum, Deo autori attribuit, mala sc. opera à Deo in nobis fieri, *non solum manente*: sed & *liberè cooperante nostra voluntatis arbitrio*, cum contra Simon Magus, negatà hominū ad peccandum libertate, hos ipsos non nisi *materialiter*, scelera perpetrare, *formaliter* autem Deum ipsum omnium illorum Autorem esse, blasphemè docuerit, conf. Sinich. in Goliathismo p. 412. qui hâc ratione conciliat, quomodo Irenæus salvâ veritate, & illo Simonis Magi, antecessoris de Deo autore malorum, dogmate, scribere potuerit, *antiquiores Florino hæreticos nunquam ea dogmata, quæ Florinus prædicabat asseruisse*, cum tamen Simon Magus Protohæresiarcha videatur eadem tradidisse, conf. Vincent. Lirin. c. 34. Sed & illud memorabile, quod Florinianorum hæresi contraria planè data fuerit Coluthianorum hæresis: illis *omnia mala* (culpæ & pœnæ) his, *nulla* (pœnæ) DEO tribuentibus: Ecclesiâ contra, utramq; illam contrariam propositionem hæreticam declarante, & mediâ inter utramq; viâ incedente, sic ut contra *Florinianos*, mala criminalia s. *peccata* à Deo esse neget ex Deut. 32. 4. Pl. 5, 5. & contra *Coluthianos*: quædam *mala* (pœnæ sc. & afflictionum) à Deo esse defendat ex Isaïæ 45, 7. Amos 3, 6. Pulchrè Augustinus l. alleg. causam omnem compendifecit: Coluthiani, inquit, & Floriniani, quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. *Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrigando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas, atq; substantias, in quantum sunt natura atq; substantia, uti Florinus errabat.* Opponit Florinianis illud, ex Genes. c. 1, v, ult. *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde*

rant valde bona. Coluthianis autem illud ex Isaiâ: *Ego Deus creans mala* Esa. 45. 7. ad quem locum ipse Calvinus: *Fanatici*, inquit, *homines, hanc MALI vocem detorquent, ac si Deus MALI i. e. peccati Autor esset: sed facile apparet, quàm præposterè hoc Propheta testimonio abutantur. Antithesis enim id satis explicat, cujus membra inter se conferri debent: nam opponit PACEM MALO, b. e. arumnis, bellis, aliisq; adversis.* Admittimus expressam ab ipsâ veritatis evidentiâ confessionem magni olim Adversarii, & subsumimus: Atq; Zwinglius (apertè scribens: *Numen ipsum autorem esse ejus quod nobis est injustitia*, Serm. de provident.) Piscator (clare professus: *Deum ad flagitia impellere: Reprobos à Deo ad causas damnationis, ut impie vivant, & sint vasa plena fecibus peccatorum, CREATO esse*) P. Martyr (asserens: *Deû quoquomodo eorum quæ malè fiunt, CAUSAM dici posse & Viros doctos Deum esse causam peccati concedere conf. Pisc. disp. de præd. Mart. L. c. p. 199. & 828.*) imò Calvinus ipse docens: *Ex Dei ordinatione hominibus iniici peccandi necessitatem* vid. l. i. Inst. c. 23, 29.) asserunt: *Deum esse autorem mali s. peccati.* E. illi sunt *Fanatici, & Floriniani*, atq; sic Calvinus à vobis amice.

§. II. Propter eundem Florinum in errorem Valentini prolapsam, conscriptum quoque ab Irenæo librum *Ἐπιὸν ὀγδοάδου* s. *ogdoade* (Hieron. *ἐπιὸν ὀγδοῶν*) meminit Eusebius, in cuius operis extremitate, non solum se temporibus Apostolorum vicinum significaverit: sed & elegantissimam subscriptionem addiderit, quam in eo libro repertam descriperunt Eusebius & Hieronymus talem: *Adjuro te, qui hunc librum transcripseris, per Dominum nostrum Jesum Christum & per gloriosum adventum illius redituri ad judicandum vivos & mortuos, ut studiosè conferas, quod transcripseris, & accuratè ad exemplum, unde transcripseris, emendes, & sacramentum illud, quo te obligaverim, similiter descriptum in exemplar inscribas.* Utinam autem ex

autem ex voto hoc Irenæi, quod non minùs aliorum fuit patrum Catholicorum, actum semper fuisset sive à descriptoribus, sive ab Interpretibus, nec sive per oscitantiam, sive per corruptionem & castrationem violentā, cujus testis index expurgatorius Papisticus, hîc in patrios cineres peccatum! Sic sine dubio, accuratioria haberemus, illorum, quæ sancti Patres Catholici olim scripserunt, & cum posteritate communicare voluerunt, exempla. Neque alio fine vel Irenæus illa commentariis suis apponere, vel Eusebius & Hieronymus voluerunt narrare, quàm ut *veteres illos & verè pios Viros, tanquam exemplum accuratissimæ in describendis libris diligentia nobis ad imitandum proponeremus.*

§. 12. Præter illa edidit quoque *volumen contra gentes inscriptum de scientiâ, librum Euseb. l. i. hist. c. 25. judicio, brevissimum quidem: summè tamen necessarium, & alium de disciplinâ, quin & librum de Apostolicâ prædicatione, ad Marcionem Fratrem, & librum variorum tractatum s. variarum rerum disquisitiones, nec non epistolas ad Victorem Episcopum Romanum de questione Paschali, quorum tamen nihil sub certo titulo s. nomine recensitum à Photio Constantinopolitano in amplissimâ Bibliothecâ s. Myriobiblio, in quo altum de his & superioribus Irenæi scriptis silentium, præterquam quod generaliter, alia varia sub Irenæi nomine circumferri meminit, in quibus Ecclesiasticorum dogmatum veritas spuris rationibus fucari videatur, quod Victorem Romanum crebris literis hortatus Irenæus fuerit, ne propter dissensionem de die Paschali ab Ecclesiâ aliquos abdicaret, ut quæ ex Eusebio, & Hieronymo recensuimus, ætate Photij, & medio adeo seculo 9. jam sive intercidisse, sive corrupta, tunc fuisse, videri possit.*

§. 13. Ex genuinis Irenæi scriptis ad nos non pervenerunt, nisi quinq; libri *adversus hæreses Valentini & similia, quæ*
Gg
& doctri-

& doctrinam Irenæi multiplicem, & contra genus hæreticorum, monstrosissimis sententiarum involucris, inhospitis testibus, abditisq; ac ne doctissimo cuiq; facile penetrabilibus Satorum profunditatibus, horridum, disputandi acumen, & insignem prudentemq; Zelum ac pietatem, vehementer loquuntur. Frequens hujus operis contra hæreses editi mentio apud Eusebium, qui & benè multa in laudem Autoris & operis facientia, ad probandum fidem Ecclesie illorum temporum, & consonantiam Apostolicam, nec minùs ad publicandum Irenæi de scripturis & traditione verè Apostolicà judicium, ex his libris in suos Commentarios transtulit vid. ille l. 5. de Hist. Eccl. c. 6, 7, 8. Irenæus, inquit, in tertio libro operis sui contra hæreses editi, dum Rom. Pontificum successionem tradit, eorum etiam Catalogum ad Eusebium usq; recenset, unde licet conicere, illud ipsum opus, ipsius Eusebii memoria, ab eo compositum esse. Subjicit dein Eusebius, illa quæ leguntur in Irenæo l. 3. c. 3. & jam supra sunt à nobis adducta §. 2.

§. 14. Ita c. 7. Eusebius: Irenæus, inquit, in secundo libro ejusdem operis clara divina & admirabilis virtutis judicia in Ecclesiis quibusdam ad suam usq; ætatem fuisse residua, his ferè verbis commonstrat: Sbnjungit immediatè, quæ quoad sensum habentur apud Irenæum l. 2. adv. hæres. c. 58. Eusebius sic recitat: Plurimum abest, ut hæretici possint mortuum suscitare, sicut Dominus ipse, sicut ejus Apostoli prædicationis subsidio adjuti, sicut alij à fratribus complures suscitarunt. Sæpe numero autem aliquà de causà necessarià id ipsum postulante, Spiritus mortui, propterea quod tota Ecclesia illius loci cum jejunio & multà intercessione Deum rogabat, in corpus rediit, & hominis vita sanctorum precibus est donata. In Irenæo autem hæc habentur: Hæretici dicentes se ex eadem circulatione cum Jesu habere animas & similes illis esse, ad opera producti, quæ ille ad utilitatem hominum & firmitatem fecit,

fecit, nihil tale, nec simile neque secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sequenti propius ad Irenæi, prout hodie legitur, literam accedunt, quæ sic habet: Si autem & Dominum per phantasmata huiusmodi fecisse dicunt, ad Prophetica reducunt eos, ex ipsis demonstrabimus, omnia sic à Deo & prædicta esse & facta firmissimè, & illum solum esse Filium Dei: quapropter & in illius nomine, qui verè sunt illius discipuli, ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisq; accepit donum ab eo. Alij enim Demones excludunt (ejiciunt) Alij laborantes aliquâ infirmitate per manus impositionem curant, & sanos restitunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est dicere numerum gratiarum, quas per univèrsam mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Addit quæ in Theologiâ Anti-Papisticâ notari merentur: Ecclesia, inquit, nec invocationibus Angelicis, nec incantationibus facit aliquid, nec aliquâ pravâ curiositate: sed munde & purè & manifestè Orationem dirigens ad DOMINUM, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi in virtute, secundum utilitates hominum, sed non ad seductionem perficit.

S. 15. Nec minùs de Apostolicarum autoritate scripturarum pulcherrimum ex Irenæi l. 3. c. 1. locum citat, Eusebius sc. de Matthæo, quod prædicantibus verbum Dei Romæ Petro Paulo, & Ecclesiæ fundamenta jacentibus, Matthæus Evangelium inter Hebræos proprio illorum sermone ediderit: de Marco, quod discipulus hic & interpres Petri, illa, quæ ab eo prædicata acceperat, scriptis mandaverit; de Luca, quod hic Pauli Comes, Evangelium ab eo prædicatum in librum congesserit;

de *Johanne*, quod ille Domini discipulus, qui & supra pectus Jesu recubuerit, Ephesi Asiae commoratus, Evangelium scripserit. Omnes, inquit, isti unum Deum factorem caeli & terra, à lege & Prophetis annunciatum, & unum Christum Dei filium traderunt nobis, quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem & Esaiam & Jeremiam & alios, suaeque salutis adversus, quod faciunt omnes haeretici.

§. 16. Sed & ex l. 5. Iren. adv. haeres. citat Eusebius l. 5. hist. Eccl. c. 8. de Johannis Apocalypsi, c. 13. 18. & mysterio Antichristi nominis numero 666. quæ mutatâ nihilominus literâ, sic habent hodie in Irenæo: *His, inquit, sic habentibus, & in omnibus antiquis & probatissimis scripturis numero hoc posito, & testimonium perhibentibus bis, qui facie ad faciem Johannem viderunt, & ratione docentibus, numerus nominis bestiae, secundum Graecorum computationem, per literas, quæ in eo sunt, 666. habebit, non 616. quomodo quidam sequentes idiotismum, & medium frustrantes numerum nominis, sive numeros deducentes, pro sex decadis unam decadem volentes esse. Et interpositis quibusdam conjecturis de numero illi Bestiae dando in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ vel ΤΕΙΤΑΝ, subjungit: Nos tamen non periclitabimur in eo, nec assèveranter pronuntiabimus, hoc eum nomen habiturum, scientes, quoniam, si oporteret, manifestè præconiari præsentis temporis nomen ejus, per ipsum utique editum fuisset, qui & Apocalypsin viderat (per Johannem sc.) Neque enim ante multum temporis (Apocalypsis à Johanne) visa est: sed penè sub nostro seculo ad finem Domitiani imperij. Apparet inde quàm diversus ab Alogianis, Johannis Evangelium & Apocalypsin velut scripturas supposititias respuentibus vid. Aug. l. de haeres. n. 30. Irenæus fuerit, quo loco Apocalypsin habuerit, quam & auctoris, & libri ætatem, sic ut Johannis scriptoris Apocalypsis ætas proxima fuerit, seculo Irenæi, & idem penè seculum. Ostendit dicto loco Eusebius, citatis textibus,*
quod-

quodnam iudicium fuerit Irenæi de *Epistolis Johannis & Petri*, de libro *Pastoris*, de *interpretatione τῶν LXX.* conf. l. 5. c. 8.

§. 17. Meminit ejusdem operis Hieron. l. de *Script. Eccl.* scripsit, inquit, *Irenæus quinque adversus hæreses libros: & hos solos libros ex omnibus Irenæi scriptis à se velut genuinos Irenæi libros, agnitos & lectos, testatur Photius in Bibl. num. 120.* ubi & summarium singulorum describit librorum: *Primus*, inquit, *de Valentino agens, atq; ab impio ejus errore initium ducens, rursus quasi relato pede, & repetitâ altiùs origine, narrat porro à Simone Mago, usq; ad Tatianum, qui Justini Martyris primùm discipulus, in errorem tandem hæreseos est præcipitatus. Dissertit præterea de iis, qui propriè Gnostici appellantur, itemq; de Cainis execranda illorum dogmata exponens. In libro 2. refellit ea quæ ab hæreticis impiè referuntur. Tertius variâ adversus illos adfert S. scripturæ testimonia. Quartus ab hæreticis objectas quæstiones deluit. Quintus, quacumq; à Christo per parabolas dicta, facta de fuerint, cum ex reliquâ ejusdem salutiferâ doctrinâ, tum ex Apostolorum epistolis, hæreticorum imposturis refellendis aptissima esse demonstrat.*

§. 18. Primus sc. illorum qui ex omnibus Irenæi monumentis ab Eusebio & Hieronymo recensitis supersunt, est *ισορητικὸς* & ex professo *ἀπεριτομητὸς*, in quo recenset errores tetros & diabolicos Valentianorum de *innumerabilibus Diis*, de diversis Diis V. & N. T. quorum ille fuerit justus: *sed non bonus: hic contra* (quia non prout ille agat juxta τὸ ἀρετῆς δίκαιον: sed τὸ ἐπιεικὲς) *bonus, non justus; de Demiurgo mundi hujus opifisee, de 30. Aeonibus, quos distinxerint in ogdoadem, in decadem & dodecadem, de Aeonum Syzygiis, 4. in ogdoade, 5. in decade, 6. in dodecade, quarum 5. in decade deriventur ex Syzygiâ 3. in ogdoade, quæ sit λόγος καὶ ζωὴ, 6. autem in dodecade, ex 4. in ogdoade quæ sint Ἀβραῆν καὶ ἐκκλησία.* Opponit horum furoribus sanctissimum Symbolum, s. brevem & orthodoxam de

Deo & homine confessionem l. i. c. 2. unde constat, quæ nostrarum hodie Ecclesiarum doctrina est, illam Irenæi ætate seculo post Christum secundo, in Ecclesiis Germania, Gallia, Hispania, Italia & ultra receptam fuisse, atq; adeo Confessioni nostræ veram antiquitatem Apostolicam, & illam quæ ab initio Evangelii decucurrit, regulam non deesse. Subjungit διήγησιν s. narrationem de dissidiis hæreticorum, & hæresiæ Irenæi Simone Magi, Cerintho, Ebione, Menandro, Marco, moribus undiquaq; flagitiosissimis, verbi divini & sacramentorum corruptoribus & violatoribus sceleratissimis, abominabilium sacrorum ceremoniarumq; Magistris. Liber 2. est partim ἀποδείξεις, quo Theologiam s. doctrinam Apostolicam de Deo uno, æterno, omniscio, omnipotente, ἀπειρογάτω, totius universitatis Angelorum, hominum, aliarumq; creaturarum, conditore, s. creatore, qui non sit fictitius ille Demiurgus: sed Pater Domini nostri Jesu Christi, unâ cum Filio unigenito (quem Irenæus Polycarpi, & per hunc Johannis ἀποδείξεις s. ipsius styli studiosus Discipulus λόγος vel sermonem frequenter appellat) & Spiritu S. confirmat: partim autem est ἐλεγχοίς, quo Gnosticorum dogmata, de mundi primordiis, de Demiurgo, de Aconum ordinibus, de μυστικαῖς τεταμέναις τεταμέναις plurimaq; Platoniorum somnia circa animam potenter confutat. Tertius partim est περικλήσεις, ubi hæreticos inexpiabilis flagitij, adulteratarum nimirum & truncatarum scripturarum reos peragit, ac convincit: partim est ἐξηγήσεις, quatenus post illa, symphoniam s. consensum Prophetarum, & Apostolorum de Domino Jesu Θεωπέριον ostendit. Quartus est κειμήλια, quo doctrinam partim de Deo in utroq; Testamento non nisi uno, & quoad voluntatem s. decretum de reparatione generis humani per Christum non arcano: sed patefacto, partim de homine (illa enim duo sunt totius disputationis Irenæi κεφάλαια sc. doctrina de Deo & de HOMINE) ejusdemq; per lapsum contractâ virium spiritualium nullitate probat.

Quintus

Quintus *συναγωγή* (seu quo superiora recapitulat) & quoad corporum resurrectionem & beatorum in alterâ vitâ glorificationem, contra *πρωτοδευ* corporum à Gnosticis defensam, *βιβλαίων*. Et hæc summa v. librorum Irenæi.

S. 19. Apparet inde, sincerum fuisse M. Chemnitii de libris his Irenæi iudicium: *Sunt, inquit, libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputant de primis principis Christiana fidei. Hæreticis sc. scripturas rejicientibus, & sua absurdissima deliria Ecclesie, traditionum Apostolicarum nomine, obtrudentibus, exponit Irenæus, quæ sit vera traditio, Ecclesie ab Apostolis commendata, cujus summa comprchensa est in symbolo Apostolico. Unde quod cum scripturis & traditione s. symbolo non convenit, tanquam hæreticum rejecit. Deinde continentur valde multa bona doctrinalia de singulis ferè articulis fidei, de duabus naturis in Christo, de Eucharistiâ, quod non sit sacrificium, quale fingunt ad-versarij, de eadem fide qua salvati sint sancti Veteris & N. Testamenti. Notat quidem Chemnitius tria 1. quod durius & incommodius loquatur de libero arbitrio. 2. Quod minus diligenter de discrimine Legis & Evangelij. 3. Quod non ponat satis explicatam sententiam de peccato originis: sed in his excusatio facilis ex scopo & primario ad hunc respectu, qui in 1. erat destruere fatalem illam necessitatem, & naturam mali, qualem dein statuerunt Manichæi, & tamen nondum apparet, quid in eo desiderandum, quod Irenæus l. 4. c. 71. & alibi, libero arbitrio (Angelorum sc. & hominum ante lapsum) tribuit potestatem electionis & liberrimam voluntatem, sive in bono perseverandi, sive desciendi, & post lapsum quoque, libertatem naturalem labendi. Quis enim de tali dubitaverit, vel sine ignoratione elenchi, hic *καὶ νόμον* statuerit? Scopus in 2. erat disputare contra illud id discrimen, quod ponebatur ab hæreticis, in alio Deo Veteris, alio N. Testamenti, in 3. non de peccato originis: sed de causâ peccati*

cati, non Deo: sed Diabolo & homine ex professo agere, atq; adeo remonstrare: Deum non esse causam peccati. Et fatetur tamen Chemnitius: Alibi de fide Christi, & de justificatione pie & commode differit Irenæus. Item, quando perspecta est causa & occasio, cur ita loquatur, tunc sine offensione & cum fructu posse legi.

§. 20. In tam pulchro corpore verrucas dari, quid mirum? Et agnoscendæ quidem illæ: sed & illis ex rationario temporum studiorumq; tunc ignoscendum. Tales sunt lusus circa voces sanctiores sermonis Hebræorum, in quarum expositione deliquium non minùs Irenæi licet ex his observare libris, quàm idem, & vel vehementius in alijs aliorum Patrum scriptis, quibus e. c. quid *Hallelujah* significet, quid in Evangelio *Hosianna*, quid *Hephetba*, quid *Tbalitha Kumi*, quid *Maranatha*, visum inexplicabile. Et quidem quæ de *Zebaoth magno*, *Adoneo*, *Eloeo* habet l. i. adv. hæref. c. 34. ex Gnosticorum portentosa mataologia, per modum narrantis monstrosæ sectæ dogmata somnia, ac tum historiæ sacræ, tum sacrosanctorum Dei nominum, corruptiones hæreticas commemorat.

§. 21. Magis in ipso Jesu nomine s. hujus etymologia sancto Patri imposuit, sive ipsa linguæ Hebrææ ignorantia, sive impostoris alicujus Judæi ab Irenæo consulti malitia. *Jesus* (inquit Iren. l. 2. c. 41.) *nomen secundum propriam Hebræorum linguam literarum est duarum & dimidia, SICUT PERITI EORUM DICUNT, significare Dominum eum, qui continet cælum & terram: quia Jesus, secundum antiquam Hebræicam linguam, cælum est: terra autem iterum sura usser dicitur. Verbum ergo quod & cælum & terra habet, ipse est Jesus.* Magnifica sanè conclusio: sed ex præmissis lubricis deducta, quales sunt (1) nomen יהוה esse literam 2^æ. Nomen Jesu formaliter significare Dominum, qui creavit cælum & terram. (3) Nomen JESU secundum antiquam Hebræicam linguam, esse Cælum: (4) Terram

Terram dici Hebræis *sura usser*. Addantur ceteræ *negdizim* in l. alleg. e. c. *Antiquas & primas Hebraorum literas & sacerdotales nuncupatas tantum decem fuisse numero, Deum Hebraicè Barneb dici, & duas cum dimidiâ habere literas.* Et toleranda quidem hæc vel excusanda sunt *negdizim* extra disputationem, verum, ubi contra versutissimos in nominibus & numeris agitur hæreticos, velut retinacula superstitionis potius, quàm fidei Catholicæ, ne præjudicent meliori causæ, sunt amputanda.

§. 22. Majus periculum Irenæo scriptori per traditionem illam adeò decantatam ipsi, de *etate JESU NAZARENI* patientis conf. l. 2. c. 39. sc. Dominum Jesum habuisse tunc, *etatem senioris s. à quadragesimo aut quinquagesimo declinantis in senectutem, quando patiebatur.* Rationes Irenæi sunt 1. *Christus per omnem venit etatem, ut omnem etatem sanctificaret.* 2. *Triginta annorum ætatis prima indolis est juvenis, & extenditur usq; ad 40. annum.* 3. *Evangelium.* 4. *Traditio Seniorum qui in Asia apud Johannem discipulum Domini convenerant, omnium, testatorum Dominum Jesum quinquagenario proximum, idq; ipsum Johannem tradidisse: nec tamen solum Johannem: sed & alios Apostolos ἀποστόλους Christi s. qui cum Domino Jesu ingressi & egressi eundem suis oculis vidissent & manibus palpavissent tale quid de Jesu quinquagenario, publicè testatos esse.*

§. 23. Argumentum 1. à *sanctificatione omnis ætatis hominum ad ἀγιωσύνην* & vitam Christi his in terris per omnem etatem, adusq; ipsam adeò *senectutem*, invalidum est. Sanctificavit Jesus populum non per *ætatis proportionem*, (ac si ætas sanctificantis correspondere debuisset ætati sanctificandorum, atq; sic, pueritia Jesu pueros, Juventus Juvenes, adulta virilitas Viros, & senes sanctificasset, vel sanctificare debuisset) sed per *satisfactionem & meritum*, per proprium sanguinem Hebr. 9, 12. 13. 14. c. 13. 12. *Requisita fuit ætas ministerio publico apta & sa-*

Hh

crificio

crificio pro peccatis Universalitatis ex analogia Scholæ sacrificialis, congrua; ad illam non *senectus* admittebatur: *pueritia* tamen & *juventus* prærequirebatur, ut per hanc iretur in ætatem Magistri, quæ incipiebat ab anno 30. ex Lege in *militiâ sacrâ*, plenè ministerialem, etiam in oneroso ministerio Num. 4, 47. cum alioquin ad inferiora quædam ministeria vel Progymnasmata sufficeret annus 25. Num. 8, 24. unde & Servator à Johanne baptizatus, publicum jam ministerium aggressurus, dicitur fuisse *ὡσεὶ ἐτῶν τετράκοντα ἀρχαμέν* & s. i. is qui tunc *cœperat esse* 30. annorum Luc. 3, 23.

§. 24. Licet autem locum hunc pro 30. suis æonibus hæreticè citarent & ad probandum non nisi *unum ministerij annum*, & hunc, & alterum ex Isaïæ c. 61. 12. de *anno Domini accepto & die retributionis* accommodarent, Valentiniani, tamen nec satisfecerit Irenæus elisurus illâ de uno anno ministeriali sententiam, per objectam, ex illâ hypothesi JESU docentis & patientis ætatem juvenilem, minùs etiam ex loco Joh. 8. v. 57. probaverit Jesum tunc in disputatione illâ cū Judæis jam ferè quinquagenarium, cum Judæi, hunc numerum, aut ut in mentem venit, protulerint, aut datâ operâ, quò minùs aberrarent, & ex abundantia, ultra quàm opus erat, numerum auctiorem expresserint, sic tamen, ut ne ipsi quidem pro quinquagenario Dominum Jesum tunc habuerint: sed longè infra: quippe confessi non positivè: *Tu 50. annos demum habes*: sed negativè *quinquaginta annos nondum habes*: ac si dicerent: longè adhuc infra quingenarium es, & tamen ætatem Abrahami, arrogare tibi audes, vel illum tibi, & te illi visum, ut taceamus, Chrysoptomū hîc legere: *Τεσσαράκοντα* pro *πεντήκοντα*. *Quadragesima annos nondum habes, & Abraham vidisti*: & addit: *Judæis habitum Christum ὡς ἐγγὺς τῶν τεσσαράκοντα ἐτῶν* s. *velut is, qui ad 40. annorum ætatem prope accederet*: sed missâ illâ lectione, retentaq; genuina, quæ est annorū

τῶν πενή-

τὸν πρῶτον, frustra fuit Irenæus, quando I. 2. c. 40. in hac objectione s. confessione Judæorum ingens suæ traditioni firmiter persuasit. *Ipsi, inquit, qui tunc cum Domino Jesu disputabant Judæi apertissime hoc ipsum significaverunt, quando Domino responderunt: Quinquaginta annos nondum natus es & Abraham vidisti. Hoc autē consequenter dicitur ei, qui jam 40. annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, nec tamen multum à quinquagesimo anno abstulit: Ei autem qui sit 30. annorum, diceretur utiq;: Quadraginta annorum nondum es. Qui volebant eum mendacem ostendere, non utiq; in multum annos extenderent ultra ætatem, quam eum habere conspiciebant: sed proxima ætatis dicebant, sive rescientes ex conscriptione census, sive conjicientes secundum ætatem, quam videbant, habere eum super 40. Irrationabile est enim omnino viginti annos mentiri eos, volentes eum juniorem ostendere temporibus Abrahami. Non ergo multum aberat à 50. annis. Non ergo anno uno predicavit, nec 12. mense anni passus est. Tempus enim à 30. ad usq; 50. nunquam erit unus annus.*

§. 25. Illud potius attendi meretur, cum tota sententia hæc Irenæi in traditionem resolvatur, insigne iterum hæc exemplum præberi lubricæ traditionis, ubi ex hac abstractâ in rebus fidei disputatur. Sententia hæc de Jesu quinquagenario tempore passionis, & interpretatio illa loci Johannis c. 8, 57. sine dubio est erronea & falsa. Atq; illa deducitur ab Irenæo ex traditione, & quidem ex traditione incomparabili, sc. quæ habuerit Autorem ipsum Johannem Evangelistam, qui eam tradiderit Senioribus Asiæ omnibus, imò quam non solum acceperint à Johanne: sed & aliis Apostolis, qui Dominum Jesum viderant, & tale quid de ætate Christi retulerant. Si ergo hæc tam splendida traditio tota in fermento, quid non metuendum de aliis & illis in primis Papiisticis, longè infra tantum vetustatis & auctoritatis culmen positis?

Hh 2

§. 26. Quin

§. 26. Quin ipse Irenæus qui usq; adeo immodicè *σκηνώ-
σεως ζωῆς* & terrenæ annos extenderat, ubi ad legitimandum
illud annorum ætatis auctarium longe plures ministerii annos,
& Paschata numerare potuisset, mirum, quantum de numero
remiserit, dum l. 2. c. 39, inde ab anno 30. baptismati servatoris
non nisi *tria Paschatis Itinerarij JESU Paschalis tempora* ex Ev-
angelistis colligit: sc. *primum* Pascha ex Johan. 2, 13. *secundum* ex
Joh. c. 5, 1. *tertium* ex Joh. c. 11, 55. c. 12. 1. & seqq. quod ipsum
tertium adeo, nec mense 12. sed 1. fuerit Servatori *επιγεωσίου*
καὶ ἀναστάσιμον, quæ sanè ratione ætas Christi non fuerit nisi 32.
(vel si annus baptismatis habeatur trigessimus incipiens, non
nisi 31.) solidorum annorum. Potuisset si non meliori, tamen pari
ratione colligere 5. Paschata, & jam inde à 30. baptismatis sc.
anno, 4. annos *σκηνώσεως* inter nos *Verbi incarnati*, sic ut anno 5.
ineunte, & in quinto adeo Paschate, ipse Christus nostrum Pascha
pro nobis mactatus & oblatus sit 1. Cor. 5, 7. rectissimè id observante
Irenæo & in Hæreticis notante: *Ipsum, inquit, mensem, in quo
Pascha celebratur, in quo & passus est Dominus, non duodecimum:
sed primum esse qui omnia se scire jactant, si nesciunt, à Mose pos-
sunt discere.* Sed quicquid id est, licet Irenæus ad elidendum
sententiam adversariorum de uno anno, illa de tribus tempo-
ribus & itinerariis JESU Paschalibus proposuerit, militant tam-
en hæc contra ipsum Irenæum, juxta quem à baptismo, Servatoris æ-
tati per tempora Paschalia legitimare potuerit, nec deducere
illam ultra annum s. 31. sive 32. mirum, quod tantum annorum
auctarium Servatori attribuere ausus fuerit. Opponatur hic
ipsi Irenæi assertioni, quod ille Valentinianorum sententiæ de
uno anno ministerii Christi opposuit. *Quod, inquit, tria hæc Pa-
schatis*

schatis tempora non sint unus annus, quilibet confitebitur. Pari jure licebit opponere, quod sive tria, sive 4. vel 5. Paschatis tempora, non sint viginti circiter anni, omnis quilibet confitebitur.

§. 27. — Imputantur alia Irenæo, quorum in his V. libris reliquerit vestigia, sc. 1. quod *amplexus sit sententiam Chiliastrum & inde observatus ab ipsâ vetustate in Irenæo error in fundamento.* (Verba sunt Chemnitii, qui in Irenæi libris in explicatione aliquot locorum Apocalypsis agnoscit semina Chiliastrum) 2. quod *statuerit Satanam nusquam ausum dicere blasphemiam adversum Deum, priusquam advenisset in terras Dominus, eò quod nondum cognosceret damnationem suam.* 3. *Quod senserit, animas exutas corpore, non statim frui glorificante visione Dei: sed abditas servari in diem resurrectionis.* 4. *Quod duplicem statuerit resurrectionem, unam animarum, alteram corporum.* Primum enim non adeo ex Irenæi libris, qui hodie extant, probatur: nec ausus Erasmus ἀναγιγνάντων rigorosus Censor in l. 5. tale quid objicere, etsi jam olim ab Hieronymo tale quid Irenæo imputatum. Vid. Hier. in Catal. Scriptor. Ecclesiast. in Papiâ, & l. II. Ezech. ubi enarrans Ezechielis c. 36. *Non, inquit, juxta Judaicas fabulas, quas illi θεῶν πόλεις appellant, gemmatam & auream de cælo expectamus Hierusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, quod & MULTI nostrorum (Latinorum) Tertull. Lactant. Victorin. Pictav. &c. & ut Græcos nominem & primum extremumq; jungã, Irenæus & Apollinarius pollicentur.* Inprimis autem in præf. 18. Comment. in Isaiam ubi prætermittis cæteris, sententiam de Chiliastrum tribuit Irenæo Lugdunensi Episcopo, *adversus quem Vir eloquentissimus, Dionysius Alexandrinus, Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex elegantè scripserit librum irridens mille annorum fabulam & auream atq; gemmatam in terris Jerusalem.* Rectè autem Chemnitius, senten-

tiam illam (prout quidem, interprete in locis allegatis Hieronymo, imputatur illis scriptoribus) appellavit *errorem in fundamento*. Nec enim, quod multi *Ecclesiasticorum Virorum & Martyrum*, sententiam non damnarunt, propterea planè damnablem illam negarunt. Conf. Hieron. ad v. 10. c. XIX. in Jerem. Sixt. Senens. Bibl. S. l. 5. annot. 233.

§. 28. Secundum, velut ab antecessore Justino, dictum citat, & approbat velut benè dictum l. 5. commodeq; explicat, distinguendo sc. inter blasphemiam Satanæ nudam (quâ Satanæ nudè per semetipsum) & organicam (quâ sc. prout olim per serpentem seduxit hominem: ita e. c. per Gnosticos, Valentin. Marcionitas &c.) blasphemat Dominum, inter *cognitionem de damnatione Diabolicam, ante adventum Domini, sub Prophetis, & post illum sub Apostolis*, unde *manifestam* magis cognitionem Diabolo tribuit *ignis aeterni Satanæ parati*: quod ex *gradibus pœnarum Diaboli & locis 2, Pet. 2, 4. Jud. c. un. 6.* facillè conciliatur.

§. 29. Tertium ex sententiâ *Irenæi* unâ, quæ habetur l. 5. adv. hæres. c. 31. ab Erasmo præf. libr. V. Sixto Senens. Bibl. S. l. 5. annot. 345. ad locum Apoc. 6, 9. à Sinnichio, pro excusando Johannis XXII. Pontificis, qui, teste Gersone & ex hoc Erasmo, *coactus fuerit operâ Theologorum Parisiensium ad Palinodiam, coram Galliarum Rege Philippo, non sine buccinâ*, errore, colligitur vid. Sinn. Saul. Exrex n. 254. Ceterum, licet, si probaretur illa mens Irenæi, nihil hîc peculiaris erroris objiceretur Irenæo: cum pro eâdem sententiâ ingentem numerum illustrium Ecclesiæ patrum, qui huic dogmati consonare, eidemq; robur aliquod præbere suo tam consonante testimonio visi sint citet Sixt. Senens. Bibl. S. l. 6. annot. 345. p. 714. & seqq. & Sinnich. l. alleg. vel propter Johannis XXII. excusationem, vel Benedicti XII. & Concilii Florent. definitionē, adeo in allegandis pro

dis pro illo errore Patribus facundi, tamen nec ex verbis Irenæi minutius excussis tale quid solidè probatur, cum nihil in illis sit, quod non excusare & piâ explicatione licebat emollire.

§. 30. Nec enim valet consequentia. *Discipulorum Domini* (verba sunt Irenæi) *anima abibunt in indivisibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi usq; ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: E. anima justorum sanctè defunctorum, nequaquam admittentur ad visionem ac fruitionem Dei beatificam, nisi in consumatione seculi: sed interea in abditis terra receptaculis continebuntur, sine visione DEI.* Ita nihil planè apparet consequentiæ in illo: *Anima recipientes corpora sic venient ad conspectum Dei.* E. *anima ante resurrectionem corporum nullo modo recipiuntur in cœlestem gloriam, quod tamen posterius ex illo priori deducere conatus Erasmus.* Intelligere illud licebat de *intensiore* (& quoad corpus redunitum, *extensiore quoque*) *gradu gloria aeternæ, & consumatâ sic omnibus numeris beatitudine, quâ gavisurus est totus homo post glorificationem corporis, quippe ante quam & sine quibus illa nõ obtinetur, ut adeò in illâ Irenæi sententiâ nil pro Psychopannychitarû errore, nihil pro Limbo vel Purgatorio Papistico, quod nullum agnoverit Irenæus. Sed nec obstat, quod Irenæus præmittat exemplum Domini, qui in medio umbræ mortis abierit, ubi anima mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumtus sit: quo ordine Dominum etiam sequuntur discipuli, quorum nemo est super Magistrum. Ad solum ordinem novissimorum illa pertinent, in quo datur 1. mors & per hanc aggregatio animarum sc. sanctarum, ad sanctas cum Christo s. damnatarum ad damnatas cum Diabolo. 2. Resurrectio corporum. 3. Immissio in gloriam vitæ aeternæ. Quin & anima Christi separata non fuit sine visione Dei beatifica, conf. quoq; Aug. ep. 57.*

§. 31. Sic

§. 31. Sic nec quartum illud satis ex Irenæo probatur. Nec enim valet illatio: Juxta Irenæum, *Anima recipientes corpora, perfectè resurgent.* E datur aliqua resurrectio animarum *imperfecta* ante recepta corpora. Addit statim Irenæus & explicat vocem *perfectè*, per: *corporaliter*. Statuit adeò: animas *in invisibili loco* usq; ad resurrectionem commorari, & *resurrectionem sustinere*: dein, *receptis sc. corporibus perfectè* i. e. *corporaliter* resurgere. Nihil hîc, quod non faciliè concilietur.

§. 32. Non desunt alia, quæ in scriptis Irenæi à Censoribus quibusdam velut veritati Catholicæ minùs consonantia, notantur. Quale quod ab ipso jam olim Erasmo motum notatumq; de *diei novissimi* sive *scientiâ* sive *ignorantiâ in Filio*, occasione illorum quæ lib. 2. c. 48. & 49. habet Irenæus, ac si sc. ipsi Dei Filio illâ temporam ignorantiam imputaverit Martyr. Constant publicè loca, in quibus ipse Filius Orator Discipulos & per hos populum Christianum omnem ab inutili, vel noxiâ quoq; curiositate avocaturus & ad Vigilantiam & preces exhortaturus. *De die, inquit, illo (extremo) & horâ illa, nemo scit (nequidem Angeli qui sunt in caelo, neq; ipse Filius) nisi Pater* Marc. XIII. 32. quod non minùs de *Angelis caelorum* negatur in loco Matthæi c. XXIV, 36. quin additur ibidem nova exclusiva: *De die illo & horâ nemo scit (ne Angeli quidem caelorum) nisi Pater meus solus.* Neq; verò plus ultra l. alleg. habet Irenæus. Non ille ignorantiam diei novissimi ad ipsam divinam naturam Filii, vel ipsam naturam humanam s. intellectum Christi humanum actu personali consideratum extendit (qui cum Christum Deum creatorem confiteatur, illum ipsum ignorare simpliciter diem novissimum, statuere non potuit) neq; de *restrictione* sc. quo respectu Christo talis nescientia diei & horæ illius imputari potuerit, tunc sollicitus fuit, vel ut illam expressis verbis

fis verbis adderet, ex ipso Scopis magis necessarium duxit, quàm
 vel Servator ipse, qui citra *limitationem* hoc *παρὰ τὸν* Theologi-
 cum pronunciavit, vel uterq; qui citra talem restrictionem Ev-
 angelista descripsit. Scopus sc. Irenæo l. alleg. fuit redarguere
 hæreticorum insanientem & arrogantem in mysteriis tractan-
 dis irreverentiam, quâ *irrationabiliter inflati* (verba sunt Ire-
 næi) *audacter inenarrabilium Dei mysteriorum* e. c. *ipsius genera-*
tionis λόγος ex Patre scientiam jactabant, miserisq; quos sedu-
 ctū ibant, auditoribus, hæreticè & promittebant, & fabulis hæ-
 reticis adulteratam inculcabant. Compescere illos Irenæus
 voluit argumento argumentorum, si extra respectum illorum
 quibus cum Servatori edifferenti sanctissimum illud apoph-
 thegma, & ipsi Irenæo illud applicanti, negotium fuit (illi enim
 erant *Apostoli*, hi insanabiles *heretici*) consideretur, non alia fe-
 rè intentione prolato, quàm quâ ipse Dominus antecessor ad-
 hibuerat sc. ipsos Apostolos à curioso arcanorum temporum
 scrutinio ad preces & vigilantiam venerationemq; mysterio-
 rum religiosam provocandi. Inde illa Irenæi: *Si Dominus i-*
ipse Filius Dei ipsum judicij diem & horam concessit scire solum Pa-
trẽ, manifestè dicens: De die illâ & horâ illâ nemo scit neq;
Filius, nisi solus Pater Marc. 13. 32. Si, inquit, scientiam diei illius
Filius non erubuit referre ad Patrem, neq; nos erubescamus, quæ
sunt in questionibus majora secundum nos, reservare Deo. Appa-
 ret inde & ex ipsâ sanctâ Irenæi intentione, quàm non ad op-
 pugnandam per argumentum *nescientia diei & hora novissima,*
 Filii Dei divinitatem, vel ipsam quoq; humanitati, communi-
 catam, omniscientiæ divinæ majestatem illo sublimi exemplo
 usus fuerit, qui potiùs illo argumento à majore ad minus æquè
 ac in argumento ad Philippenses c. II, 5. Paulus, vehementissi-
 mè illam *θεοθεωρία* eminentiam assertum ivit: sc. si Dei Filius,
 idemq; verus Deus, qui quia Deus est, ignorare quicquam non
 I i pote st

potest, nihilominus in exinanitionis statu scientiam diei & horæ novissimæ velut maximè arcanorum, non Angelis solùm in cœlis: sed & sibi ipsi certo respectu denegat, & soli Patri vindicat, quânto magis fas est, *inenarrabilium* talium arcanorum s. mysteriorum scientiam, miseris mortales sibi nequaquam temerè arrogare: sed *Deo reservare*? Ita suppositâ in Christo omniscientiâ non minùs, quàm *κενωσις* voluntariâ, tantò fortius militat Irenæi argumentum, nec ullum inde fidei Catholicæ præjudicium s. periculum.

§. 23. Apparet id ex illis quæ sequuntur l. alleg. *Si quis itaq; nobis dixerit, quomodo ergo Filius prolatus est? dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, aut quomodo libet quis vocaverit, generationem ejus inenarrabilem nemo novit, non Valentinus, non Marcion, non Basilides, non Saturninus, neq; Angeli, neq; Archangeli neq; Principes, neq; potestates, nisi solus qui generabat Pater & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaq; generatio Filij cum sit, quicumq; enarrare nituntur, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare promittentes.* Consonant quæ cap. 49. inserit: *In mysteriis credendum esse Deo & Verbo ejus cui soli dixerit: SEDE A DEXTRIS MEIS!* cum nos adhuc in terrâ conversantes nondum ad sedeamus throno ejus. Addit quæ non minùs pro absolvendo Irenæo ab abnegatæ simpliciter Filio Dei Omniscientiæ imputatione faciunt; *Etsi, inquit, Spiritus Salvatoris, qui in eo est, scrutatur OMNIA, & altitudines Dei, tamen, quantum ad nos, divisiones sunt gratiarum, ministeriorum, operationũ, qui sicut super terram ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus, ita de universis quæstionibus, ei, qui ex parte nobis præstat gratiâ, concedere debemus, quem admodũ Dominus hora & diei agnitionem dimisit Deo, nec in tantum periclitari, vel in tantam audaciam venire, uti pendamus Deum & nondum inventa pro inventis habendo, impium adversus Deum argumentum fingamus.*

Hæc

Hæc sanè, prout omnia *ταῖς ἡγεμονίαις ἀποφασίαις*, vetustisq; scriptore & Martyre digna, ita ab omni Syncretismo hæretico, quoad hanc causam, Irenæum penitus absolvunt.

§. 34. Sanè non probatur Irenæo illa verborum Salvatoris interpretatio, vel depravatio potius, quâ nescire *diem & horam illam* Filius Dei dicitur, sc. *ad revelandum*, pro ratione personæ legati, *qui in arcanis revelandis tanquam nescium se gerere dabet nec magis enunciare quàm si prorsus ignoret.* Unde addidit Irenæus: *Filius illius diei scientiam soli Patri concedendo, dixit quod verum est.* Postquam sc. constabat sic dixisse Filium, quis dubitare poterat, quin ille qui dicit: *Ego sum veritas*, dixerit quod verum est. *Verè* adeo, non simulatè, quodam respectu, Filius cum Apostolis loquens, *de die & hora illâ non scivit*: nec magis ad revelandum nescivit, quam Pater ad revelandum scivit. Quod Servatoris axioma, quomodo de cetero ad Christum secundum solam humanitatem actu naturali ratione scientiæ formaliter inhærentis (cujus etiam respectu *περὶ σοφίας* profectus in sapientiâ ei tribuitur Luc. 2, 52.) & in ipso voluntariæ *κένωσις* (per quam particulariter & quoties voluit etiam ipsam omniscientiæ ceteroqui unâ cum omni plenitudine Deitatis *συνεχίζων* inhabitantis actum vel exercitium, non saltim in his temporum novissimorum arcanis: sed & aliis e. c. ficus *ad non inventos fructus maledictæ*, argumentis, continuit s. non incessanter exeruit, quia *seipsum exinanivit* conf. Marci XI, 13. qui tamen etiam *secundum carnem*, in statu exinanitionis *scivit quid esset in homine*, particulariter sc. & quoties voluit Joh. 2, 24. 25.) statu referendum, sic ut per exclusivam SOLUS non Filius, quâ Deus, imò nec simpliciter, quâ *θεὸς ὁμοούσιος*, non Spiritus S. excludatur, alibi & in Exegeticâ Theologiâ docetur & in Elencticâ contra hæreticos defenditur. Satis nunc, Irenæum bona fide dictum Servatoris allegasse, in ipsâ applicatione nec

extendendo nec restringendo temere, peccasse, quin hauf alieno à Domini & Magistris intentione scopo accommodasse.

§. 35. Nec aliter habet quod & ab Erasmo & ab aliis notatum in Irenæo lib. 3. c. 21. ubi in mysterio unionis personalis, & commixtionis & adoptionis utitur vocabulo. Non sanè sive Irenæi sive aliorum Patrum Catholicorum, qui *mixtionis* vel *permixtionis* usi sunt vocabulo, mens fuit præludere Eutychis hæresi, vel Eutychianam σύγχυσιν ἢ confusionem naturarum introducere: quin potius illis ipsis terminis duarum Θεαυθρά-
πυ distinctarum naturarum intimam ἀδιαστασίαν & περιχώρη-
σιν ὑποστατικὴν, quæq; illam sequitur κωνωνίας ἰδιωμάτων, quæ deinceps Nestorio facta σημεῖον ἀντιλεγόμενον, penetrantissimè describere. De quibus ex professo Chemnitius noster in l. de hypostaticâ 2. naturarum in Christo unione. Quin, cum nihil aliud habeat Irenæus, quàm quod memoret l. alleg. *Filium hominis commixtum verbo Dei*, longe familiarius & paulo durius quoq; Augustinus illo *mixtionis* termino utitur, tum alibi, tum Epistola 3. *Sicut, inquit, in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa personâ mixtura est anima & corporis: in hac personâ est mixtura Dei & hominis. Cum enim verbum Dei permixtum est anima habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines: hoc semel factum est ad liberandos homines.* Addit ibidem Aug. *Verbi & animæ velut duorum incorporeorum credibiliorem debuisse esse permixtionem, quàm animæ & corporis, velut unius incorporei.* Sed, inquit, hoc in nobis experimur, illud in Christo credere jubemur. Monuit autem eadem Epist. Augustinus non intelligendam talem mixtionem, qualis datur, cum duo liquores ita commiscentur, ut neuter seruet integritatem suam, quanquam (prout addit) in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Sed & Catachresin

chresin & impropriatē vocabuli ipse haut obscurè in hoc mysterio agnovit, unde subiecit: *Si tamen non indignè ad ista, mistura vel missionis nomen admittatur, propter consuetudinem corporalium rerum, longè aliter se habentium aliterq; notarum, scilicet eminentiæ mysterii non adeo convenire illa missionis vel commixtionis vocabula sponte concessit.*

§. 36. Sed & excusabile in Irenæo, alterum, *adoptionis* vocabulum, tum quod longè ante motam à Felice Orgelitano, & Elipando Toletano, inq; Synodo Francofurtana a. C. 794. decisam controversiam, imò & ante Nestorianos (quibus quantò magis illa de Christo secundum humanam naturam Filio Dei adoptivo assertio arrisit, tantò magis orthodoxis s. Catholicis suspecta fuit & periculosa videri cœpit) scripserit, tum quod non tali adoptione dicit Filium hominis factum Filium Dei, quæ est opposita Filiationi propriæ & naturali, sicut eam deinceps Elipandus opposuit & ferocissimè, sicut auferendos de terrâ pronuntiaret, qui Christum *secundum humanam naturam adoptivum: sed proprium & naturalem Dei Filium asserent*, defendere allaboravit. Ante & extra controversiam motam sæpè vocabulum incommodius usurpatur, & toleratur, quod ubi controversiâ motâ ab hæreticis perniciosè contra salutis principia applicatur, ab ipsis Catholicis retractatur. Neq; ergò sive Irenæi, sive paucorum aliorum, qui ante controversiam motam securiùs sunt locuti de Christo Filio Dei adoptivo Patrum autoritas opponi potest Synodi Francofurtanæ decreto, præprimis, ubi constat illos ipsos tales hypotheses creditorum tenuisse e. c. de unione hypostaticâ, de uno Dei Filio, ipsoq; Deo ex virgine nato, de humanâ Christi naturâ in immensam unigeniti Filii Dei personam assumpta, quibus affirmatis, non possint non, mota controversiâ, & re minutiùs excussa Elipando postulante adoptivum affirmari, naturalem proprium & unige-

& unigenitum Dei Filium negari, illi contrā, unigenitum proprium & naturalem Dei Filium affirmare, adoptivum negare: sed & aliter habet, ubi vocabulo in transcurso utitur aliquis veterum scriptorum & maximè *περὶ τῆς διδασκαλίας*, vel *παιδείας ἐν τῇ δικαιοσύνῃ*, aliter, ubi ex instituto & professo in primis *περὶ ἐλεγγον*: ibi excusator usus incommodioris vocabuli est (maximè si non detur in lingua nativa) hic minùs. Atq; priori modo hic usus vocabulo est Irenæus: *Propter hoc* (inquit) *Verbum Dei homo, Qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, commixtus Deo, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.*

§. 37. Ceterum si ipsius authentici textus Græci copia daretur, forsā illas voces de *adoptione*, non ad unum hominem Mediatorem: sed ad illos, propter quos Verbum Dei factum est homo, referendas esse constaret, & sic magno compendio dubium omne expediretur. Et vel ipsa lectio latina, videtur talē interpretationem requirere, ut illud de *adoptione*, respectivum ad voces *propter hoc*, finem describat incarnationis, ita ut quærenti. *Quo fine verbum Dei factum sit homo, vel, propter quid Filius Dei factus sit Filius hominis?* respondeatur: ut *homo* (credens in unigenitum Dei filium regeneraretur, atq; ita) *per adoptionis χάριτος fieret Filius Dei.* Atq; sic hæc Irenæi sententia consonaret pulcherrimè illi Johannis aureolo Evangelico c. 1, 12, 13. Facit pro hac interpretatione præterea evitatio tautologiæ & turbati ceteroquæ sensus hujus in Irenæo sententia: Quomodo enim convenit post iteratas illas prædicationes: *Verbum Dei factum est homo, item: Qui Filius Dei est, Filius hominis factus, ipseq; sic filius hominis commixtus verbo Dei est,* nunc apponere, *ut fiat Filius Dei?* Cum contrā juxta posteriorem hanc interpretationem pulcherrima hic & consolationis solidæ plenissima detur sententia, ac permutatio suavissima: *sci. Verbum Dei sit homo, Filius Dei sit filius hominis,* (quo fine? responderetur)

spondetur) ut homo (credens & ita) adoptionem recipiens fiat Filius Dei. Nihil hoc sensu cogitatur dulcius. Sed & contextus & scopus omnis pro hac explicatione militat. Disputat contra eos hæreticos, qui dicebant *Christum nude tantum hominem ex Joseph generatum, qui cum ignorent, cum qui est ex virgine esse Immanuel, priventur munere ejus, quod est vita aeterna, quippe cum non recipiant verbum incorruptionis, maneat debitorum mortis, nec accipiant antidotum vite.* Tales, inquit, non **RECIPIUNT MUNUS ADOPTIONIS**, quia contemnunt incarnationem puræ generationis, fraudantes hominem ab eâ ascensione, qua est ad Dominum & ingrati existentes **VERBO Dei**, quod *Incarnatum est propter ipsos.* Sequuntur nunc proximè verba superiora, & necluntur illis præcedentibus causaliter. **PROPTER HOC enim Verbum Dei, homo, & qui Filius Dei factus est filius hominis** ut (homo credens in Verbum incarnatum s. Dei filium factum hominē, & ita) adoptionem recipiens, fiat *Filius Dei.* Syllogismus Irenæi. *Qui VERBUM Dei Patris, & adeo Incarnationem puræ generationis s. Dei Verbi contemnunt, munus ADOPTIONIS & antidotum vite non recipiunt.* Atq; Valentiniani & ceteri hæretici, qui *Jesum nude tantum hominem dicunt, ex Joseph generatum,* contemnunt **VERBUM Dei Patris, & incarnationem puræ generationis.** E. Probat majorem ex fine incarnationis *Dei Verbi*, quia sc. *propterea Dei filius factus est homo, ut homo adoptionem reciperet & sic (per adoptionem) filius Dei fieret.* Sed & sequens in contextu ratio pro eadem militat resolutione: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi aduniti fuisset in corruptela & immortalitati.* Atq; ita nihil in Irenæo pro Christo secundum naturam humanam Filio Dei adoptivo, quin potius contraria omnia, dum usq; adeo assumtam à *xy* naturam humanam ipsaq; unigeniti Dei filii filiatione donatâ agnoscit, ut etiam dicat **filius hominis**

hominis commixtum VERBO Dei, ipsumq; Filium hominis esse Filium Dei vivi, Deum & Dominum, Regem æternum, unigenitum, eo modo, quo NEMO in totum ex Filiis Adæ sive Deus s. Dominus appelletur. Conf. lib. III. c. 21.

§. 38. Illud fortè paulò insolentius, quod l. 5. adv. hæ. *Virginis Evæ Virginem Mariam factam esse, scribit, advocatam.* Et probanda quidem phrasis haut est: Ceterùm improbandus magis hujus loci abusus & *επιβασίς*, Papistica est, qua calumniosè unius vocabuli (quod ex scopo & intentione Irenæi à sensu erroneo, absolvere & mitigare licebat) aucupes, conclamant statim contra *unum Mediatorem & Advocatum Christum*, ad plures nostro nomine apud Deum *advocatos*, & sive meritorum, sive intercessionis respectu, *Mediatores*, ipsam imprimis *θεοτόκεν* *qua contriverit caput serpentis.*

§. 39. At procul ab hoc fermento Papistico IRENÆUS fuit. Non agnovit ille *Mediatorem Dei & hominum alium quam unum θεοτόκον*, de quo pulcherrimè, contra illa, quæ de Christo secundùm solam naturam humanam Mediatore defendit Papismus, confessor Irenæus l. 3. c. 20. Non agnovit ille corruptam, qualis in Latinâ Vulgata obtinet lectionem Gen. III. 15. IPSA: sed ad *semen mulieris prædicatum referendo & ipsum emphaticè in genere masculino exprimendo* more Paulino Galat. 3, 16. legit: IPSE. Non adeo agnovit, Mariam: sed *solum Christum contrivisse caput serpentis: Ipsum, inquit, semen mulieris prædestinatum, quod fuit partus Marie calcabit caput serpentis* conf. l. 3. c. 38. & lib. V. *Christus omnia recapitulans adversus inimicum nostrum bellum provocans elisit eum, qui initio in Adam captivos duxerat nos, & calcavit ejus caput, quemadmodum in Genesi dixit serpenti Deus: Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen ejus: IPSE (non IPSA) qui ex muliere virgine habebit nasci, IPSE de*
quo

quo scriptum est: donec venerit semen, cui promissum est, & in semine tuo, QVI est CHRISTUS Galat. 3. 19. IPSE, de quo in eadem Epistola c. 4. 4. dicitur: Cum venit plenitudo temporis, misit Deus FILIUM suum, factum de muliere, IPSE observabit (quomodo legitur ex versione Græca antiqua Latina) s. conteret caput tuum. Pergit Iren. Neq; enim iuste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim dominatus est ab initio. Propter hoc & Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea que secundum mulierem est plasmatio facta, in semetipso recapitulans, uti, quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum per hominem accepit mors palmam adversus nos: ita nos iterum adversus mortem per hominem accipiamus palmam.

S. 40. Agnoscere hic licet *πρότερον* *ὁμοιωμα* *τῆς* *ἑσχατῆς* *καὶ* *ἀρχαίας*, & pulcherrimam comparisonem Adami primi & futuri s. ultimi Rom. V. 14. 1. Cor. XV. 45. qualem inter ipsam Evam & Mariam talem instituit sc. 1. Eva Virum habuit Adamum. Maria, quoq; predestinatum, imo desponsatum Virum sc. Josephum Matth. 1. 16. 19. cui Josepho Viro Mariæ acclamatum à Gabriele: Josephæ, Fili David, ne metue accipere Mariam uxorem tuam! v. 20. 2. Eva Virum quidem habuit, virgo tamen adhuc extitit, quippe quam in Paradiso Adamus non cognovit Genes. IV. 1. Maria licet desponsata Viro, Virgo tamen erat, quippe quam Josephus non cognovit. 3. Eva Virgo inobediens, Maria autem Virgo obaudiens. 4. Eva per Angelicum sermonem, seducta est ut pravaricaretur verbum Dei. Maria per Angelicum sermonem (Luc. 1. 30, 35.) evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo & dicens. Ecce ancilla Domini! Fiat mihi secundum verbum tuum. Inde jam 5. Sicut Eva seducta est ut effugeret Deum: sic Maria suasa est obedire Deo, uti virginis Eva virgo Maria fieret advocata, & quemadmodum astrictum est morti genus humanam per virginem, solvatur per virginem aquâ

KK

lance

lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam atq; sic 6. Sicut Eva inobediens facta sibi & generi humano causa facta est mortis: sic & Maria virgo obaudiens & humano generi causa facta est salutis. 7. Et quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem. Apparet in posterioribus his, ex illâ ipsâ comparatione & digressionem homiliticâ licentiùs paululum & improprie in Mariâ locutum Irenæum, quod tamen ex sensu Irenæi quâ rem ipsam, Catholico, dum calcare caput serpentis, & genus humanû lethaliter à serpente antiquo lesum & mortificatû vivificare, non Mariæ: sed soli Christo tribuit, nec nisi respectu partus vel ipsius Dei, quæ Virgo Maria Mater Domini vel SALVATORIS MUNDI concipiebat & portabat, illa & quidem in collatione cum solâ Heva, de Mariâ (cui ab Angelo, acclamatum *χαῖρε ἡ κεχαρισταμένη*, & ab Elisabetâ *μαχαρία ἡ πρέσβυται* Luc. l. 28. 42. 45.) prædicat, mitigandum potiùs, quàm odiosè exagitandum.

S. 41. Calumniantur passim Pontificii, Irenæi tempore non tam scripturarum, quàm traditionum quoddam regnum obrinuisse, & ad harû sacrarium ablegatos tunc tum Germanos, tum alios credentes populos indeq; consilium pro emendatione temporum formant, sc. *revertendum ad traditiones*, cum nec in solis, Scripturis figere liceat perfectam regulam veritatis: sed Verbo scripto apponenda sit *traditio Ecclesie Romanae*, cujus potentio rem principalitatem agnovit ipse Irenæus. Ceterùm in ruborem illos dat clarissima Irenæi confessio lib. III, c. I. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium venit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò PER DEI VOLUNTATEM IN SCRIPTURIS NOBIS tradiderunt, FUNDAMENTUM & COLUMNAM FIDEI NOSTRÆ futurum.* Memorat paulò post, quo ordine scripserint Evangeliste, & vehementer invehitur in illos, qui cum ex scripturis arguuntur, in accusationem ipsarum scripturarum velut obscurarum & variè dictarum, unde non possit ex his inveniri veritas

ritas, ab *his qui nesciunt traditionem, convertuntur*, ut agnoscere hic habeant Pontificii antecessores & annulum suæ cum damnatissimis illis hæreticis coherentiæ. Ecclesiam Romanam à Petro & Paulo fundatam asserit, & illi potentio rem principalitatem, tum propter urbem, s. metropolitanam & imperialem eminentiam, tum propter doctrinam verè Apostolicam tunc & longè infra Irenæum sincerè conservatam tribuit. Legitimet Roma doctrinam, ipsamq; veritatis præconationem Apostolicam, prout illam legitimare sua ætate Irenæus potuit, ostendat plenissimè unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ & olim in Ecclesiâ ab Apostolis sit tradita, & hucusq; illibata Romæ vel in Ecclesiâ Papistico-Romanâ conservata, & non supererit de potentiore principalitate bellum. Quàm autem planè alia illa traditio, (de quâ ex hypothesi Irenæus l. 3. c. 4. *Quid sineq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne sequi oportebat ordinem traditionis? cui ordinationi dicuntur asserere multa gentes Barbarorum, in Christum credentium, sine caractere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem & diligenter custodientes veterem traditionem*) à traditionibus Papisticis? Hoc vero sola lectio illius, quam subjungit Irenæus, traditionis Apostolicæ, quæ tota scripturis apertissimè consonat, testabitur. Et, quàm ab illis temporibus, ubi ordinatio & successio illorum, quibus Apostoli Ecclesias & cum his veritatis præconationem commiserunt, luculenta datur, ad nostra tempora, cadaver est consequentiæ?

§. 42. Ita S. Cœnam vel Eucharistiam quidem vocat oblationem, & de hâc Novi Testamenti novâ oblatione explicat locum Malach. l. 4. c. 32. sed non in sensu sacrificiali Missatico Papistico. De quo sacramento pulcherrimus locus est in Irenæo l. 4. c. 34. *Qui est terra panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est: sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrenâ & cœlesti: Concludit inde porrò: ipsam carnem quoq; & corpora nostra, percipientia Eucharistiam non posse jam in cor-*

ruptionem devenire, sic ut nullā habeant spem resurrectionis, cum à corpore & sanguine Domini alantur Conf. l. 4. c. 31. 34. Frustra clarissimo loco nebulas Berengarianas suffundere, inq; suas partes Irenæum trahere laborat Calvinismus.

§. 43. Solent Sociniani, dogma Catholicum de SS. Trinitate & Christi æternâ deitate ac divinâ personalitate oppugnaturi, & suam hæresin, de Christo naturâ non nisi homine, qui Filius Dei quidem sit: sed ita ut initium hujus sue filiationis primò demum in suâ nativitate ex virgine Mariâ, & propter hanc nativitatem & ulteriolem sui sanctificationem & exaltationem accepit, ipso antiquitatis prætextu defensuri, ad Apostolos (quos inter, tandem etiam Johannes adventum Filij Dei ex cælo, ut homo fieret, velut planè Antichristianum repudiaverit, damnaveritq;) ad vetustissimos Apostolicos Christianos Hierosolymis, Romæ & alibi viventes & in Palæstinâ à Judæis Nazarenos appellatos, provocare, & quod impudentiæ & blasphemiæ hæreticæ fastigium est, fidem Catholicam de SS. Trinitate, ipso imprimis æterno Dei Filio, in utero virginis Mariæ incarnato, ipsi, levi imputatione, Cerintho, & vetustis Christianis ex gentibus, qui adeò à sententiâ Johannis & illorum Nazarenorum planè defecerint, ipsiq; Ignatii somnio imputare, & hic ad Irenæum, ad Eusebium quoq; provocare, atq; inde dogma de antemundano quodam Dei Filio, Antichristianum & Apostaticum proclamare (conf. Colloq. Alb. Jul. & Zwickeri Pseudo-Josias p. 24. 25.) Solent Arminiani ¹⁹¹¹ suarum Ecclesiarum cum Socinianis excusaturi, praxin temporum vetustissimorum (quando confessores Christi naturâ veri Dei & hominis & adeò ^{beati} ceteros Christianos JESU Messia, citra naturam in Christo divinam, Professores, nihilominus admiserint, & cum illis communicarint conf. Apologia Remonstr. p. 53.) vel ipso Justino teste, allegare, atq; sic licentiosum nimis Adiaphorismum, qui exit in Puccianismum vel Atheismum, excusare. Fuerit ita juxta illos, JOHANNES Evangelista, tandem, vel novissimâ ætate Soci-

te Socinianus; Ignatius, autem, Polycarpus, Irenæus, Apostatae, Antichristi; & majore dogmatis parte Cerinthiani, qui, quem Johannes proscripserat, Ebionem & Cerinthum reducerint, imò & doctrinam veram Johannis, & omnes illos antiquissimos Apostolicos, Nazarenos, orbe Romano imò universo, exterminarint, ut sic Irenæo & Polycarpo, potius ad Cerinthum contra Johannem, quam ad Johannem contra Cerinthum provocandum fuerit, vel vehementer ab illis, suo velut Antichristiano dogmati, auctoritatem Apostolicam JOHANNIS, non sine manifesto tunc crimine falsi accommodando, in universæ Ecclesiæ fraudem ac animarum omnium dānnum exorbitatum. Juxta Arminianos autem, JOHANNES, Polycarpus, Irenæus, tenuerint quidem fidem Catholicam: ceterum sic, ut non abhoruerint à *communione* illorum, qui quomocunq; per negatam divinam JESU naturā, & personam, ipsius adeo Filii Dei incarnationem, *Θεογονίαν* unionem personalem, quāq; cetera sunt illius mysterii, saltem profiterentur Jesum esse Christum naturā merum hominem & ratione conceptionis, s. *nativitatis ex virgine* vel *exaltationis*, Dei Filium.

§. 44. In pudorem autem illos dare poterat unus Irenæus, qui non aliud magis agit, tum in aliis tum in III. in primis libro, quam ut plenissime ostendat unam & eandem vivificatricem fidem esse, quæ ab Apostolis in Ecclesiā usq; nunc sit conservata, & in veritate tradita, quam Polycarpus non solum ab Apostolis in Ecclesiā Smyrnāā constitutus Episcopus & cum multis ex eis, qui Deum in carne viderant, conversatus: sed & ab ipsis Apostolis edoctus velut unā & solā veram, Ecclesiā tradiderat, & martyrio gloriosissimo confirmaverat: quibus testimonium perhibuerint, quæ in Asiā fuerint Ecclesiā omnes, ante & post Polycarpum, non aliam habentes ab Apostolis annunciatam hominibus fidem, quā confundere liceat, omnes sive per pravam *Φιλαρτίαν* s. *ἠεροδοξίαν* vel quomocunq; sive per cœcitatē s. per mentis perverstatem, aliter sentientes. Igitur JOHANNES, idem docuerit, quod dein Polycarpus & Irenæ-

Kk 3.

us &.

us, & sic, vel hi professione dogmatis blasphemæ, Photinianorum hæresi præverint, vel (cum hoc scribere non ausint novi Photiniani) Johannes quoq; Evangelista non aliam, quàm fidem Catholicam de SS. Trinitate & æterni Dei Filii incarnatione, & præconio & scriptis professus fuerit, nec minùs illi, hostes Cerinthianorum, quàm Johannes Cerinthi, aut Irenæus, & hujus Antecessor Polycarpus mendaciorum loquacissimi fuerint. Quod si excipiant, allegari non posse in hâc causâ auctoritatem *Irenæi*, frustra sunt, postquam ipsi ad Irenæum & Eusebium provocant; cumq; Irenæus ad Polycarpum Doctorem tantâ constantia, in quæstione de consonantia dogmatica cum scriptûris & Apostolis prædicantibus, appellet, hîc quoq; usurpare liceb. t. illud Irenæi lib. III. adversus hæreses c. 3. *Polycarpus, Vir multò majoris auctoritatis & fidelioris veritatis testis est, quàm Valentinus & Marcion & reliqui qui sunt* (vel erunt) *perverse sententiæ* (Fr. David, Daniel Zwickerus, & quotquot illius blasphemæ sectæ Cerinthianorum, Samosatensorum, Photinianorum, Socinianorum sunt Antesignani) Agnoscant se inter illos esse, quos ex quadruplici causa perveritate sententiæ laborare scripsit Irenæus & quorum antecessores fuerint, quales l. alleg. Euseb. l. 3. c. 26. ex Hegesippo describit tenebriones, & veritatis Apostolicæ depravatores.

§. 45. Nec minùs contra illam Arminianorum provocationem, ad praxin tolerantia veteris Ecclesiæ facit, quod & ipse Johannes Evangelista Ep. 2. v. 10. *nec domum recipere, nec Ave dicere permittat, si quis adveniens doctrinam Apostolicam non adserat, cû qui tali Ave dicit, ejus malis operibus communicet: sed &* l. alleg. Irenæus de JOHANNES Evangelistâ memorat: JOHANNES, inquit, DOMINI Discipulus, in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exiit de balneo non lotus dicens: *timeo, ne balneum corruat, cum intus sit Cerinthus inimicus veritatis.* De Polycarpo autem: *Polycarpus cum venisset in urbem multos hæreticos (Ebionitas, Cerinthianos) convertit in Ecclesiam Dei, u-*
nam

nam hanc solam veritatem annuncians ab Apostolis percepisse, quam & Ecclesia tradidit. Memorat, porro, quomodo Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti & cum non saluaret, dicenti sibi: Cognosce nos! responderit: Cognosco te primogenitum Satanae. Neq; aliam mentem Irenaei fuisse ostendit ipse: Tantum, inquit, Apostoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, ut neq; verbore nus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, idq; velut recte faciendum & boni Catholici officium, probat illo Paulino axioma: Hæreticum hominem post unam vel alteram correptionem devota, sciens, quod perversus sit talis, & à se ipso damnatus, Tit. III, 10. Neq; aliter Augustinus, qui agnovit quidem officium charitatis non solum nostris: sed & omnibus nos debere, & ipsum hæreticum, quantumlibet odiosum à superbia tumidum & pervicacia mala contentionis insanum, sicut, ne parvulos & infirmos fallat, vitandum: ita quibuscunq; modis fieri possit, etiam per privatas Epistolas, qualibus uti quoq; ad Paganos licet, corrigendum, nequaquam tamen per ~~remanas~~ s. communicatorias literas, velut quas hæretici, pertinaci animositate sententiam falsam atq; perversam defendentes non accipiunt, cum illo agendum. Vid. Augustinus Epist. 162.

§. 46. Superest illud unum nec ignobile quaesitum utrum Græcè, an Latinè scripserit Irenæus? Errat Rivetus, pro Græcè scripto, urgens quod alleget Justinus? At Irenæum posteriorem non allegare potuit Justinus: sed Justinum Irenæus. Ratio autem dubitandi, quod & (1) Lugdunensis in Galliâ Presbyter ac deinde Episcopus fuerit, (2) nec inveniantur ejus libri, nisi Latinè conscripti. Atq; hæc, & fortè alia moverunt sine dubio Erasmus in præfatione generali, ut judicium novissimè sic publicaret: In primâ, inquit, præfatione dubitabamus, utrum Græcè scripisset Irenæus, an Latinè? nec adhuc certum aliquid habemus.


§. 47. Probant Irenæum non gentè solum: sed & scriptione Græcum 1. Stylus in Latino ubiq; Hellenismum redolens. 2. ingens distantia vocum & sententiarum latinarum, in illis quæ e. c. habentur in Eusebianis, & in præfati Latino opere 3. fragmenta & transsum-

Sumta benè multa ex Irenæo extantia apud Epiphanium & Eusebium, Scriptores Græcos, & quidem sic, ut non illi agnoverint se *Metaphrasas* sed veros descriptores. Addatur testimonium Photii qui Græcè extantes legit, & in Biblioth. notavit Probat 4. frequentia Græcanicarum citationum. Frequentius sc. à Græcis scriptoribus citatur, rariùs à Latinis. Probat 5. inscriptio Græca, quam Eusebius l. 5. c. 6. hist. Hieron. in c. 35. Ilaiz, Photius in Bibl. expresserunt his verbis: *ἐλέγχεται ἀναρετήσιν τῆς ψευδωνύμου γραμμάτων* i. e. *reprehensionis falsò nominatae sententiae libri quinq;* conf. titulus l. 4. Quin agnovit Erasmus rationis hujus vim: *adjuvant*, inquit, *opinionem tituli librorum Græci*, qui sanè probant Autorem Græcè scripsisse (quicunq; tandem interpret ille fuerit, cui hanc inconditam & corruptam non semel latinam versionem amissà nativà editione debemus)

§. 48. Probat 6. testimonium Hieronymi, qui libro 11. in Ezech. explanans c. 36. Ezechielis, apertè Irenæum inter *Græcos* numerat. Dubium quidem movit Erasmus, utrum *natione*, an *scriptione* Græcum appellaverit Hieronymus? Sed nullus illi dubio locus. Clarissimè enim ibi scriptores Latinos distinctos distinguit à Græcis, & illis distinctè citatis & copulatis, subjicit Græcos, ac inter hos ponit Irenæum.

§. 49. Quin Hier. lib. de Script. Eccles. in Tertull. dicit: *Tertullianum esse primum Latinorum scriptorum post Apollonium & Victorem*. Atq; si Irenæus Latinè scripsisset, ipsi Tertulliano anteponendus fuisset: & inter Latinos collocandus. Subscribit usq; ad eò Rivetus crit. sacro, ut hodie nullum supersesse putet, qui in dubium id vocet. Chamier autem tom. 2. panstratiæ l. 13. c. 22. §. 18. & 22. *multi emturum se scribit si Græcè daretur*: quale exemplum in Venerà olim visum, & cum ibi disparet, in Vaticana Bibliotheca apparuisse fertur: cum illa Latina editio ut ut antiqua, tamen sic satis sit incondita, quàm tamè magis etiam corruptit Fevardentius, unde Juniores qui in opera Irenæi incidunt, monitos vult Rivetus Crit. sacro l. 2. c. 6. *ut caveant ab illis editionibus Irenæi, quas impudentissimus ille Monachus Fevardentius, homo projectæ audaciæ & nullius fidei, scèdè in multis corruptit, & annotationibus impiis ac mendacibus conspurcavit.*

☞ (o) ☞





SECULUM II.

nani hanc solam veritatem annuncians ab Aposto-
 quam & Ecclesia tradidit. Memorat, porro, quom-
 pus Marcioni aliquando occurrenti & cum non salutar-
 bi: Cognosce nos! responderit: Cognosco te primogeni-
 Neq; aliam mentem Irenæi fuisse ostendit ipse: Tanti-
 postoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, ut ne
 communicarent alicui eorum, qui adulteraverant ve-
 velut rectè faciendum & boni Catholici officium, pro
 lino axioma: Hæreticum hominem post unam vel
 reptionem devota, sciens, quod perversus sit talis, & à se-
 tus, Tit. III, 10. Neq; aliter Augustinus, qui agnovi-
 ficiam charitatis non solum nostris: sed & omnibus n-
 ipsum hæreticum, quantumlibet odiosa superbiâ tum
 vicaciâ mala contentionis insanum, sicut, ne parvulo
 fallat, vitandum: ita quibuscunq; modis fieri possit, et
 vatas Epistolas, qualibus uti quoq; ad Paganos licet, a
 nequaquam tamen per ~~receptas~~ s. communicatoria
 lut quas hæretici, pertinaci animositate sententiam fal-
 versam defendentes non accipiunt, cum illo agendum
 gustinus Epist. 162.

§. 46. Superest illud unum nec ignobile
 utrum Græcè, an Latinè scripserit Irenæus? Errat
 Græcè scripto, urgens quod alleget Justinus? At Ir-
 steriorem non allegare potuit Justinus: sed Ju-
 naus. Ratio autem dubitandi, quod & (1) Lugdunæ
 Presbyter ac deinde Episcopus fuerit, (2) nec inveniantur ejus
 tinè conscripti. Atq; hæc, & fortè alia moverunt sine dubi-
 in præfatione generali, ut judicium novissimè sic publicat
 inquit, præfatione dubitabamus, utrum Græcè scripsisset Irenæus
 nec adhuc certum aliquid habemus.

§. 47. Probant Irenæum non gentè solum: sed & s-
 cum 1. Stylus in Latino ubiq; Hellenismum redolens.
 stantia vocum & sententiarum latinæ, in illis quæ e-
 in Eusebianis, & in præsentī Latino opere 3. fragmen-

